

subsistente semper id verum, semper firmum est. nec aliter  
id esse potest, ob unam illam & æternam Filii DEI genera-  
tionem ex DEO Patre inde ab æterno & in æternum usque  
existentem, ex eaque per unionem personalem utriusque na-  
turæ, promanantem communicationem illius æternæ filiatio-  
nis, Christo homini quoque, ut unico DEI filio compe-  
tentis.

Ad hæc accedunt (ז) singularia hæc verba v. 14. ulterius  
posita : אשר בהעותו והכחתו בשבט אנשים ובנגעי בני אדם  
*Qui cum permittet perverse se tractare, illum corripiam virga  
hominum, & plagis filiorum hominis, seu filiorum Adam.* Ma-  
gnum in his verbis pondus, & cum summo pro nobis pacien-  
tis Domini mysterio magnopere conveniens, dum vis ver-  
borum observetur. Verba enim in Conjugatione tertia (in  
hiphil.) significatione gaudent non tantum transitiva, sed &  
morali, impulsiva, permissiva etiam, vel saltim declarativa,  
ita ut subjectum sive persona ad actionem producendam  
concurrere possit si non per directam efficientiam, attamen  
aliis quibuscumque modis, etiam declarative, ut de Absol-  
one dicitur: Qvis constituit me iudicem in hac terra, ut ad me  
veniat, cuicumque est lis & causa והצדקתי ut illum justum  
declarem? II Sam. XV. 4. Item permissive, uti Eleasar di-  
xit Rebeccæ Gen. XXIV. 17. הגמיאיני Permite mihi sorbere  
parum aquæ. Ita & de Elavo esuriante dicitur Gen XXV.  
30. הלעיטני Permite me gustare de edulio ruffo &c. Non  
incommode ex querela Filii DEI in Ps 69. 27. huc referentur  
sequentia : כי אתה אשר הכית רדפני imò & voluisti percuti, eum per-  
cuti sunt Eodem modo & in  
hoc loco hæc verba in Hiphil posita suo jure interpretanda sunt.  
Quod quando fit, infinitivus in Hiphil omnino infert aut cu-  
ram, studium voluntatem, & cupidinem male agendi, sive  
quis ipse sese ad male & perverse agendum inclinet sive alios  
illuc incitet atque impellat; aut saltem permissionem male  
agendi